


a.F
R

INDEX AUCTORVM

1. Glaucius discept: XIII. de fide in Sc. C. in cuius priori definitio effectibus eius
exponit. Accedit propositio de dubitatione hanc XIII. de fide.
 2. discept. II. de nepte et monachis doctrinae de fide in Sc. C.
 3. discept. III. de causa, forma et subiecto fidei
 4. discept. IV. de relatione fidei ad regenerationem, retributio et reb. et reb.
 5. discept. V. Specie fidei postulatione et probaturum.
 6. discept. VI. de fide in Sc. C. in N. T. et cum effectibus
 7. discept. VII. Fides in Vt & N. T. convenientia et differentia
 8. discept. VIII. de gradibus quatuordam fidei
 9. discept. IX. de fide temporaria et finali
 10. discept. X. de fide refuta
 11. discept. XI. de fide non refutata
 12. discept. XII. de auxiliis, subiecto et objecto fidei
 13. discept. XIII. de actibus et effectibus fidei, primum protagonista de doctrina fidei
 14. Examen de autographorum bibliorum iustitia dei christiani in origine, et reb.
 15. Bruno de vali ciuij per certos m. obseruac.
 16. Knappe de dono propheticis in eccl: N. T.
 17. Eusebius discept. de dono proph. secunda
 18. Eusebius discept. Raluy eccl: apostoli felicium hodie in scripturam
 19. Hildegardis de laetacij Christi
 20. Scholastica Ant. Beata meritoria quedam propria V. & N. T.
 21. Melchior de nova hierosolyma ad Apoc. XXI. XXII.
 22. Aegidius abbat. SS. cap. I. epistola boni coniugiorum
 23. Fons de H. modicani
 24. Rufinus de Gto salvi reparatore ad Ego XLV. 22 - 24.
 25. Drogo: patrals ad Rom. VIII. 23.
 26. Florimont topics Paulinius in doctrina de fide specimen.
 27. Malconor de corpore ne in quaerunt sive posent
 28. Alfridell de Sc. C. IV. recenti summis ad Eno I. 69.
 29. Denys papa de corpore calviti de tempore inuenient. fud. accad. galenda
 30. Felicis: Topiq. Sc. C. specimen I.
-
24. Ego XLV. 22 - 24
 25. Eno. I. 69.
 26. Roma VIII. 23.
 27. Apoc. XXI. XXII.



DE
VATICINIIS NON CERTIS
NISI OBSCVRIS.

DISSERIT
ATQVE SIMVL
VIRIS DOCTISSIMIS ATQVE ORNATISSIMIS
NOBILISSIMO

V. B. GLANDORFF

RIGA - LIVONO,
GENERO SO
I. A. DE BREMEN

BREMENSI,
NOBILISSIMO
I. CLAVSSEN

SONDERBURGO - SLESVICENSI,
IAM ITER IN PATRIAM PARANTIBVS IVBENTE COLLEGIO,

QVOD
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO
PAVLO IACOBO BRVNS

PHILOSOPHIAE DOCTORE IN ACADEMIA IENENSI SOCIET. DVC.
TEVT. SODAL. ORD.

LITTERIS HUMANIORIBVS ET EXERCITATIONIBVS
DISPVATORIIS OPERAM NAVAT,
FAVSTA QVAEVIS PRECATVR

AVCTOR
PAVLVS MVMSEN

SONDERBURGO - SLESVICENSIS.

—
LITTERIS STRAVSSIANIS.



S. I. Sopon de vaticinio

Sunt sine dubio vaticinia, quae in sacra scriptura continentur, maximaque iam ex parte consecutionem experta sunt, magnum pro huius libri diuinitate documentum. Haec est ratio, quare ii, qui sacram scripturam ut mere humanum librum venditare cupiunt, illa quoque aggrediuntur, quum illorum stante auctoritate ipsam quoque sacrae scripturae diuinitatem firmo niti fundamento negare non possint. Varia igitur contra illa obicientes alii alia argumenta adhibent, quae vero hic omnia excutere nobis non est propositum. Illis tantum respondere conabimur, quibus vaticiniorum obscuritatem reprehendere placet, atque ex ea contra sacrae scripturae diuinitatem disputatione. Aiunt nimirum, quod vaticinia tam obscure sint expressa, ut ad varia facta possint applicari. Hoc maxime falsum esse, iam non vrgebimus, quum vnicuique, qui vaticinia cum aliqua tantum attentione perpendit, patebit. Deinde varia sunt argumenta, quae necessitatem vaticiniorum obscurorum euincunt. Nos hic etiam argumentum quoddam ad aduersariorum sententiam debilitandam adhibemus. Ostendemus nimirum, vaticinia quaedam per suam naturam debere aliquid obscuri in se continere. In tuenda vaticinio-

A 2

rum



rum auctoritate meritissimus Lilenthal praeter alia etiam nostrum argumentum P. I. C. V. §. 70. addaxit, vaticinia nimirum esse eiusmodi, vt clarior praedictio ipsorum impletionem impediisset, licet vteriorem sententiae expositionem non addiderit. Reticuimus virum illum doctissimum, quum dissertatiuncula confecta liber in nostras manus peruererit, nisi huius auctoritate muniri deberemus contra summe reuerendum Dietelmaierum, cui periculosa videtur esse sententia et erronea, vti ex cel. Kraftii Biblioth. theol. vidimus. Ceterum meditata nos non legisse Dietelmaieriana dolemus. Non quidem ii sumus, qui vires nostras huic negotio sufficere putamus, attamen, quid valeant humeri, experiemur, quod, vt non in malam partem accipiatur, ab aequis lectoribus speramus.

§. II.

Praedicitur aliquid, si dicitur futurum esse, licet nondum existat. Id quod vero praedicitur, etiam praecognosci debet. Qui enim euentum quendam futurum non praecognoscit, nec illum praedicere potest. Potest vero omnino aliquid praecognosci, quum omnes futuri in mundo euentus veritatem habent determinatam, quae quidem est ratio sufficiens praescibilitatis.

§. III.

Praedicuntur vero vel necessariae in mundo mutationes per nexum mechanicum semel constitutum existentiam consequentes, vel mutationes in entibus spontaneis et liberis contingentes. Mutationes prioris generis homines fugiunt vel absolute spectatos vel relatiue spectatos. Si prius, ab homine quidem non cognoscuntur, attamen ab ente superiori, quod leges mutationum mundi iam semel constitutas penetrat, perspici possunt, quum in se sunt cognoscibiles. Si posterius, hunc vel illum hominem tantum fugiunt. Sic e. g. astronomiae periti coeli phaenomena singularia praedicere possunt, quae alios huius artis

artis ignaros latent, quamvis culpa non in his mutationibus
resideat, quippe quae omnibus cognoscibiles sunt, sed in ipsa
hominum ignorantia. Mutationes vero posterioris generis,
quae contingentur sunt, nullus unquam homo cum certitudine
praeuidere ac praedicere potest. Hae enim a libero hominum
arbitrio dependent, qui se hoc et alio modo pro lubitu deter-
minare possunt.

§. IV.

Vaticinium latissime sumtum est praedictio futurorum;
latius vero, talium, quorum rationes a nobis actu non cogno-
scuntur. *Vaticinium* stricte sumtum est praedictio futurorum
contingentium, quae se referunt ad actiones hominum liberas.
In sequentibus nobis de posteriori sermo erit, donec indicemus,
vel strictius vel strictissime vocem esse sumendam. At hic non-
dum decisum sit, 1) quinam sit praedicens, 2) vtrum etiam
vaticinium postea existentiam consecutum sit, nec ne? Fac ad-
esse, qui noua bona futura denuntiare velit, torque et volue-
re spirantes oculos, ad dimidium aperire os magna sonaturum,
vti nouis Prometheus modo pallore circumfundi, modo exhibi-
taratum apparere, se se vertere in varias formas, tandem effuti-
re verba quaevis tibi prospera praeagentia. Forsan spes, si
quam concipis de eiusmodi hominis vaticinio, te fallet, nec
te adeo prosperum in posterum senties, vt praedicens voluit.
Sed quid impedit, quo minus vaticinatum fuille dixeris, seu
vaticinium prodiisse, quod latissimo sensu et latiori et stricto
tale habendum est. Qui rusticis praedicit solis obscurationem,
vaticinum prodiit sensu latiori. Tantum ex modo data gene-
rali vaticini notione iam nobis licet disputare. Eo enim mo-
do, quae per naturam stabiluntur vaticinii, ad quaevis genera
applicari possunt.

A 3

§. V.

Libertate a Deo praediti sumus. Per illam nos ad illud inter plura possibilia determinamus¹, quod nobis maxime arridet. Illud, quod nobis ut bonum maius repreäsentamus, et in cuius respectu contrařium ut malum a nobis cogitatur, hoc maxime inter plura eligibilia nobis arrideat necesse est. Repraesentationes boni maliue distinctae sunt motiva. Ergo si libere agimus, per motiva nos determinamus.

Fingamus, vaticinia edi de futuris contingentibus, quae ad liberas actiones relationem habent. Quum hae actiones nondum perpetratae sint, atque a libertate entis dependeant, aliter illud ens se determinare potest, quam ab altero praedictum fuit. Si igitur quis vaticinatur, nos hoc vel illud acturos esse hoc vel illo modo, ipsa haec praedictio potest nos mouere ad hanc nec aliam actionem sufficiendam. Possimus nimur per libertatem, qua gaudemus, vel ita agere, vt ab illo praedictum fuit, vel contrariam praedictae suscipere actionem, ob id ipsum, quoniam praedicta fuit. Fac e. g. alterum, qui odio in me fertur, praedixisse, me non redditurum esse, quod quis in mutuum mihi dedit. Tunc ego, quamvis alias non reddidisse, ob id ipsum, quoniam inimicus hoc de me praedixit, illud reddere possum, in eum nimurum finem, ut illi praedictio sua falsa opprobrio sit. Habes hic exemplum, vbi is, de quo vaticinium datum est, contrario modo egit, ac alter de illo praedixerat.

Quis igitur non perficit, vaticinium editum posse fieri motiuum, aliter nos determinandi, quam determinauissemus, vaticinio haud edito. Hoc enim si non editum esset,
actio-

actiones nostras secundum motiva in mente obuia direxisse-
mus. Iam vero, quum alias praedixit, nos ad hanc nec
aliam actionem determinatum iri, ex hac ipsa praedictione
illius motuum nouum et praeualens sumere possumus, ita nos
determinandi, vt illo vaticinio omisso nos non determinauissemus (§. praec.).

§. VIII.

Clare exprimitur nobis vaticinium, si illud de nobis di-
ctum iudicamus. *Obscurè* vero nobis exprimitur, si non de no-
bis dictum iudicamus.

Coroll. Quod si igitur ita actio praedicta fuit, vt ipsa
illius praedictio fiat motuum suscipienda *actionis*, clare va-
ticinium expressum est. Alias enim nulla esset ratio, quare
ex illo motuum hauriretur ad eiusmodi actionem perpetrando,
cuius contrariam haud facta praedictione suscepsemus.

Schol. Obscuritas vero vaticinii non infert, vt perpetra-
ta actione illa praedicta non esse affirmari debeat. Aliud enim
est obscuritas illius ante impletionem, et aliud post illam.
Illiud obtinere potest, quamvis hoc non sit. Nobis tantummo-
do sermo est de obscuritate vaticinii, antequam consequitio-
nem expertum est, cum qua quidem claritas vaticinii post
impletionem illius probe confitere potest. Sic vaticinia,
quaes in veteri Testamento continentur, tunc temporis viuen-
tibus adhuc obscura erant, quum nostro tempore post eorum
impletionem maxima gaudeant claritate.

§. IX.

Fallit vaticinium, si non fit, quod fore dictum fuit.
Quod si igitur ex praedictione alterius motuum sumo ad contra-
riam illi suscipiendam actionem, alterius vaticinium, de actioni-
bus meis fecellit.

§. X.



Si clare exprimitur, fallere potest vaticinium. Dicere enim mecum possum: Hem ille praedixit mihi, me hoc factum esse. Sed quid? num libertas mihi concessa esset, si plane non possem recedere. Volo et praedicent et aliis offendere, me esse liberum, et magis praedicentem rebus suis consuluisse, si non tam aperte de mea suscipienda actione statuisset. Nam iam quum sciām, quid optet, quod agam, volo agere contra ipsius voluntatem, ut quilibet perspiciat, meū esse, ut agam hoc et non illud, et non alterius. Quod si iam facio, vaticinium alterius fallit. (§. 8. 7.).

§. XI.

Fallere igitur potest vaticinium, et quod fallere possit, de eo ratio later in ipso clare expresso vaticinio, quatenus hoc clare expressum est. Quod si enim non clare expressum est vaticinium, nec alius inde motiu sumere potest aliter agendi, quam vaticinio haud facto fecisset, quum nulla ratio adsit, quod in se illud vaticinum applicet (§. praecc. 8. 7.).

Schol. Hic vero probe notandum est, nobis tantum sermonem esse de possibiliitate. Quare diximus, fallere posse vaticinium ob claritatem expressionis. Haud enim negamus, dari etiam casus, quod non fallat vaticinium, etiamsi cum maxima claritate, quantum quidem nobis de eo iudicare licet, prolatum sit. In eiusmodi autem casu, si Deus illud vaticinum edit, statuendum est, illum certo praevidisse, hominem eum, de quo aliquid vaticinatus est, non actuum esse contra vaticinum, quamvis de sedictum cognouerit. Sic Christus Iudei clare praedixit, illum eius fore proditorem. Hic vero claritas vaticinii obesse non potuit, quum 1) Christus certo praevidit, Iudam nihilominus factum esse, quamvis illi praediceret, 2) Iudas inde motiu aliter agendi sumere non potuit, quia credidit, Christum facile

X. 3

facile hostium manibus evasurum esse, eoque modo sine Christi detimento pecuniam, cuius admodum cupidus erat, sibi colligere posse, yti ex circumstantiis satis appareret.

§. XII.

*Quod si vaticinum obscure exprimitur, fallere illud potest, si quidem praedicens haud necessaria gauisus fuit scientia ad praedicendum. Non igitur eius ratio latet in ipso vaticinio qua tali, seu *quatenus obscure expressum fuit*, sed potius in eius, qui praedixit, ignorantia.*

§. XIII.

Certum est illud, quod non alio modo se habet. Inde patet, incertum esse illud, quod aliter se habet, quam dicitur.

§. XIV.

Vaticinia sunt certa, quae non fallunt. Quod si igitur vaticinium non conuerit cum facto praedicto, seu si id non accedit, quod tamen quidam vaticinatus fuit, alio modo se habet euentus, quam ipsius praedictio, ideoque vaticinum incertum atque falsum est (§. 13.9.).

§. XV.

In diuinis actionibus, quum Deus sit ens sapientissimum, summa concordia esse debet, consequens et antecedens sibi non repugnare. Si vero Deus diceretur vaticinatus fuisse, quod postea non evenisset, quae praecedit, praedictio et subsequens euentus sibi contrariarentur, quod Deo haud conuenit. Itaque Dei vaticinia sunt certa. Hoc alio quoque modo euincere possumus: Deus infinita gaudet intellectus perfectione, vt falli non possit. Est ille etiam veracissimus, ac mentiri non potest. Quaecunque igitur per scientiam infinitam ab eo praecognita vaticinatur, certissime ita, vt praedixit, implentur. Cui etiam bono alias vaticinia a Deo hominibus data essent, si haud consequentio-

B

nem

nem experientur? Deus nihil perperam agit. Quum ideo vaticinia non implenda sine vnu essent, *Deus non nisi certa vaticinia per sapientiam edere potest.*

§. XVI.

Vaticinia quaecunque diuina dicuntur strictius vaticinia. *Vaticinia* diuina de liberis hominum actionibus vero strictissime vaticinia appellantur. Nobis hic de postremis sermo est.

Schol. Vaticinia diuina proprie sic dicuntur. Alia enim vaticinia hoc nomen non merentur. Ad vaticinium proprie sic dictum pertinet, ut praedictum etiam certo praecognoscatur. Coniecturae igitur hominum improprie tantum vaticinia appellantur, quum hoc in illis locum non habet, ut certo homines praeuideant, quae fore dicunt. Sic politicus saepe ex antecedentibus factis has vel illas in regno mutationes concludit ac praedicit, quae tamen ob circumstantias quasdam interuenientes quamvis minimas alter euenire possunt.

§. XVII.

Vaticinia, quae clare expressa sunt, per suam naturam fallere possunt (§. 11.). Sunt vero Dei vaticinia omnium certissima (§. 15.). Patet igitur exinde, quod *clare expressa vaticinia a Deo non semper edantur.*

Schol. Quum a posse ad esse non valet consequentia, vaticinia, quae per naturam possunt fallere, nonnunquam non fallunt. Si Deus certissime praeuidit, hominem ita acturum esse, prouti praedixerit, noua per id ipsum motiva capientem, quod actio praedicta fuerit; summa cum claritate a Deo vaticinia edi possunt, de quo exemplum attulimus Schol. §. XI. Si vero Deus praeuidet, hominem semper contra vaticinium actiones suscepturn esse, vel plane nullum edit vaticinium, quoniam fallere nescium tantum dare potest (§. 15.), vel obscure exprimit (§. 8.). Quod vero Deus praeuidere possit,

hominem contra quocunque datum vaticinium acturum esse, nisi tollere velit concessam libertatem, hoc tibi concipe modo: sicut contradictoriae oppositae actiones A et B, quarum tantum una ab homine fieri possit. Deus, quem exactissima praevisione omnium futurorum gaudet, praeuidet etiam, quid praedictionem του A vel του B subsequatur. Clarissime predicto της A, tamen accidere potest το B vti το A praedicto clarissime της B (§. 10. 11.), quibus quidem casibus semper aliud eueniret, quam id, quod praedictum fuit (§. 13.). Ideoque non daretur vaticinium certum, si clarissimis signis proibitum fuerit (§. pr.). Quid igitur Deus, haec si praeuidet sane non potest non obscure exprimere futuram actionem, ne, si clarissime exprimatur, contraria producatur.

§. XVIII.

Quod si vaticinia, quae obscure expressa sunt, fallunt, hoc fit ob finitudinem praedicentis (§. 12). Deus vero est ens infinitum nullisque laborat defectibus, qui in finitis inueniuntur. Ergo ratio, quae efficit, vt fallant saepenumero obscure expressa vaticinia, non cadit in Deum, qua quidem sublata etiam, quod obscure a Deo edita actu fallunt, tollitur. *Itaque Deus obscure exprimit vaticinia*, quoniam clare expressorum non impletio nec ab ipso Deo impediri potest (§. 10.), ideoque edita fallerent (§. 11.), obscure vero expressa nunquam actu fallunt.

Iamiam ad vos, viri generose, nobilissimi doctissimi, sodales atque amici aestivatis simi, se mea vertit oratio, quorum nimirum in gratiam exigua haec tractatio a me facta est, quam vobis nunc trado humanissime rogans, vt illam amice accipiatis et cogitetis, me nihil aliud egisse, quam quod officium mihi a societate nostra oblatum postulauerit. Cui quidem si non satisfeci, mente ac voluntate vt contenti sitis, ab humanitate vestra spero. Iam vero, quod omnium mihi grauius esse duco, adhuc super-



est, vt Vobis de cursu annorum academicorum prospere peracto
gratuler, pro fauore ac benevolentia Vestra, quam in societate,
qua nobis coniuncti fuistis, et in conuersatione Vestra amoe-
nissima nobis exhibuistis, gratias agam, Vobis iter in patriam
parantibus valedicam, ac denique tristitiam, quam nobis omni-
bus Vester afferit discessus, doloremque sermonis exprimam. Vi-
ribus sane hic opus est. Meum ne quidem moerorem satis testifi-
cari valeo, quomodo igitur omnium membrorum collegii no-
stri afflictionem oratione mea comprehendam? Iactura Vestrum
eiusmodi est, vt, quamuis in dicendo versatissimus essem, certo
mihi esset succumbendum. Ignoscatis mihi igitur, amici suauissi-
mi, si ob dolorem, quem egomet ipse ex Vestro abitu capio,
haud ornate nec eleganter sim loquuturus, orationemque meam
aequi bonique consuletis. Amplissimum sane nobis pateret cam-
pus, Vesta extollendi laudandique merita, nisi ingenii imbecillitas
impedimento esset. Documenta eruditioris pariter ac ami-
citiae in nos Vestrae eiusmodi fuerunt, vt summam inde haurire
nobis licuerit et utilitatem et gaudium. Quanta animum no-
strum capiebat voluptas, quum Vestris sermonibus dulcissimis
ac iucundissimis frui possemus? Quanta laetitia nos penetrabat,
quum confuetudine Vestra vt licuerit, quantaque mens nostra
perfundebatur hilaritate, quum in societate nostra Vobiscum
amicem certaremus. Iam veritates grauissimas diuinique verbi do-
ctrinas strenue propugnabatis, omnesque scrupulos etiam si acu-
tissime inuolutos dissoluebatis. Iam iterum dubia magnae spe-
ciei efformando veritates ab altero ad disputandum prolatas ad-
grediebamini atque acerrime impugnabatis. Quod, vero maxima-
e Vobis laudi ducitur, in his eruditis certaminibus eiusmodi
vtebamini modestia ac humanitate, vt in dies amor in Vos no-
ster cresceret, nosque magis magisque cuperemus, Vobiscum
de veritatibus varie ab eruditis explicatis differere atque dispu-
tare. Arenam, in quam Vobiscum ascenderamus, nunquam
deseruimus, nisi noua accepta occasione, Vesta admirandi
merita, maximaque ex sermonibus Vestris reportata utilitate.

Verbo

Verbo: suistis deliciae nostrae societatisque decus ac ornamen-
 tum. Quid de aliis Vestris virtutibus insignibus dicam, quae
 Vos ornant? sunt sane illae innumerae, ut eas describere ver-
 bisque explicare nequeam. Quam in collegiis auditoriisque
 publicis frequentandis ac in musaeis Vestris adhibuitis diligen-
 tiam, qua industria in aliis quoque scientiis pro ingenii Vestri
 praestantia vti estis, iam alii quamplurimi, qui Vesta familia-
 ritate fruuntur, notum est, ut indicio eius haud egeat. Sed
 non tantum litteris operam dedistis, morumque praecepta in
 scholis auribus perceperitis, sed etiam eiusmodi vitam vixistis,
 vti solet a viris honestate ac probitate inclytis. Multa ad hoc
 probandum afferre possem, nisi hoc veteret modestia, qua splen-
 detis, singularis, et nisi vererer videri magis esse panegyricus,
 quam meritorum testis. Sunt sane omnes haec amoenitates,
 quae nobis ex Vesta consuetudine oriebantur, et iucunda et
 tristis recordatio. Iucunda, si in illa suauissima momenta co-
 gitatione nos transponimus; tristis vero, si iam amitti
 deberé eiusmodi eruditos ac virtute praeditos amicos fatum exi-
 git. Nonne merito Vestrum abitum lugemus, nonne iure Ve-
 strum iactura summa nos perfundit tristitia? Hem! non amplius
 Vesta præsentia societas nostra splendebit, non amplius amoe-
 nissima illa certamina Vobiscum inibimus, non amplius collo-
 quio Vestro suauissimo fruemur. Quid est, quod supprimere
 valeat dolorem, et quid vulneri huic, quo Vestro affecti sumus
 discelli, mederi potest? In patriam tendentes afficti Vos intue-
 mur, optimi sodales, carissimi amici. Athenas Salanas iam
 iam reliquentes et ad consanguineos properantes oculis Vos
 prosequimur. Eheu, iam aspectus Vester nobis eripitur, segre-
 gant nos montes, quibus Iena nostra circumdatur. Proficisca-
 mini igitur prospere, amici perdilecti. Quamuis oculis Vos
 prosequi non possimus, votis iisque ardentibus Vos prosequemur.
 Exspectant Vos studiorum Vestrorum mercedes, ampli-
 simique honores Vobis parati sunt. Colligite iam laborum ac
 diligentiae fructus vberimos, patriaeque sitis ornamento.



Fruimini praemiis meritorum Vestrorum dignissimis, ac crescat
semper laudum fama. Nos Vobis fausta quaevis precantes fe-
licitate Vestra gaudebimus. Velt Numen illud supremum,
quod omnia gubernat, vota exaudire nostra, Vobisque omnia
prospere vertat. Sint procul a Vobis mala quaecunque, nulla-
que dulcissimam Vestram felicitatem turbet calamitas. Respon-
deat Deus T. O. M. precibus Vestris, et adiuuet vos Omnipo-
tentis perfungentes laboribus. Valete, amici longe aestuma-
tissimi, fauete nobis, omniaque feliciter agite.





NOMINA SODALIVM

EA SERIE, QVA ALBO NOSTRO INSCRIPTA

LEGVNTVR.

P. MVMSEN, Sonderburgo - Slesuicensis.

C. F. BRODERSEN, Husumo - Slesuicensis.

I. D. HOFMANN, Hamburgensis.

G. TH. WEBER, Vinariensis.

F. G. F. ASVERVS, Vinariensis.



NOMINA SOCIALIA

LA SERIE, QAY ALDO NOSTRA MUSICA

LEONANTUR

R. MUMSEN, Sonnenaufgang - Silesiaeccliesiae


C. J. BRODERSN, Hymne - Silesiaeccliesiae

L. D. HEGEMANN, Hymne

O. H. V. VAPPEN, Hymne

H. O. F. ALEXANDER, Hymne






01A 6600



R





17

DE
VATICINIIS NON CERTIS
NISI OBSCVRIS.

DISSERIT
ATQVE SIMVL

VIRIS DOCTISSIMIS ATQVE ORNATISSIMIS
NOBILISSIMO

V. B. GLANDORFF
RIGA - LIVONO,
I. A. DE BREMEN
BREMENSII,
I. CLAVSSEN
SONDERBURGO - SLESVICENSI,
IAM ITER IN PATRIAM PARANTIBVS IVBENTE COLLEGIO,
QVOD
PRAESIDE
VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMO
PAVLO IACOBO BRVNS
PHILOSOPHIAE DOCTORE IN ACADEMIA IENENSI SOCIET. DVC.
TEVT. SODAL. ORD.
LITTERIS HUMANIORIBVS ET EXERCITATIONIBVS
DISPVATORIIS OPERAM NAVAT,
FAVSTA QVAEVIS PRECATVR
AVCTOR
PAVLVS MVMSSEN
SONDERBURGO - SLESVICENSIS.

LITTERIS STRAVSSIANIS.